

errores continent. Incantationibus autem serpente<sup>m</sup> aliquam Domini Cœnam celebraturi euocat, quam Augustinus in spelunca esse scribit. Irenæus & Epiphanius in cista gestari & ab illis circumferri narrant, quibus potius credo. Ex quo apparet Ophitas, turpissimam τολυθείαν nempe Dei & Serpentis inducere.

2 Error. Panem Cœnæ Domini & Eucharistiæ non prius sanctificatū esse putant quām serpens ille euocatus lambat & attingat eum siue degustet. Itaque hoc iis evenit, quod damnat Paulus 1. Corinth. 10. vers. 21. ut mensæ Domini & mensæ Dæmoniorū fieri velint participes.

3 Christum verè hominem factum esse negant, id quod illis cum superioribus hæreticis communē est.

4 Carnis etiam resurrectionem irrident, ut scribit Tertullianus.

## CAPVT XVIII.

Caini vnde dicti, erroris autem eorum capita tria.

**C**aini propterea sic<sup>1</sup> appellari, quoniam Cain honorant, dicentes<sup>2</sup> eum fortissime esse virtutis: simul & Iudam traditorem, diuinum aliquid putant esse, & scelus eius beneficium deputant, afferentes eum præscisse, quantum esset generi humano Christi passio profutura, & occidendum Iudeis propterea tradidisse. Illos etiam, qui schisma facientes in primo populo Dei, terra dehiscente, perierunt, Core, Dathan, & Abiron, & Sodomitas colere prohibentur. Blasphemant Legem, & Deum Legis authorem: Carnisque resurrectionem negant.

I Sic